

I

AD MAECENATEM

*Iambicus*

Ībis Liburnīs inter alta nāvium,  
Amīce, prōpūgnācula,  
Parātus omne Caesaris perīculum  
Subīre, Maecēnās, tuō.  
Quid nōs, quibus tē vīta sī superstite  
Iūcunda ; sī contrā, gravis ?  
Vtrumne iussī persequēmur ōtium,  
Nōn dulce, nī tēcum simul ?  
An hunc labōrem mente lātūrī, decet  
Quā ferre nōn mollēs virōs ?  
Ferēmus ; et tē vel per Alpium iuga,  
Inhospitālem et Caucasum,  
Vel occidentis ūsque ad ultimum sinum,  
Fortī sequēmur pectore.  
Rogēs, tuum labōre quid iuvenem meō,  
Imbellis ac firmus parum ?  
Comes minōre sum futūrus in metū,  
Quī māior absentēs habet.  
Vt assidēns implūmibus pullīs avis  
Serpentium allāpsūs timet  
Magis relictīs ; nōn, ut adsit, auxili  
Lātūra plūs praesentibus.  
Libenter hoc<sup>c</sup> et omne mīlitābitur  
Bellum in tuae spem grātiaē :  
Nōn ut iuvencīs illigāta plūribus  
Arātra nītantur mea,  
Pecusve Calabrīs ante Sīdus fervidum  
Lūcāna mūtet pāscuīs ;  
Neque ut supernī vīlla candēns Tūsculī  
Circaea tangat moenia :  
Satis superque mē benīgnitās tua  
Dītāvit : haud parāverō,  
Quod aut, avārus ut Chremēs, terrā premam,  
Discīnctus aut perdam nepōs.